Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

gentium populus. cui ignorat seruiuit. Quis hos omnes percussit? non ille qui dicit: Ego percutiam. et ego uiuere faciam. Nunc ergo uidete. quia ceci a natiuitate in natatoria syloe. meruistis uidere lumen uite. Iuo de sermonibus domini in terram non cecidit. quia de legis et prophetarum eloquiis. nichil omnino periit. Quos dominus super domum achab est locutus. cum in prophetis repulsionem iudeorum est testificatus. Et dominus fecit in gentium uocatione. quod locutus est in manu serui sui helie. in filii sui hominis facti redemptione. Venient inquit ab oriente et occidente. et recumbent cum abraham et ysaac et iacob in regno dei. filii autem regni eicientur in tenebras exteriores. Ieu omnes qui reliqui sunt de domo achab in iezrahel percussit. dum ordo doctorum sancte ecclesie reliquias populi iudaici predicatione euangelii consumit. Percussit uniuersos optimates eius. legis doctores. et notos. legis cultores. et sacerdotes. sacrum ut ipsi putant scientie ducatum dantes. Reliquie ex eo non remanent. quia reliquie populi iudaici in fine omnes ad ecclesiam transibunt. Ieu surgit. cum ordo doctorum in fine mundi ad predicationem se accingit. In samariam uenit. cum per predicationem euangelii custodiam legis infringit. Venit ad cameram pastorum. que est munitio duorum testamentorum. in qua thesauri reconduntur omnium pastorum et doctorum. Camera pastorum est in uia. quia auctoritas duorum testamentorum est in eo qui dicit: ego sum uia et ueritas et uita. Ieu fratres ahazie regis iude inuenit. cum ordo doctorum sectatores heretice prauitatis in ecclesia deprehendit. Ahazias enim qui apprehendens dominum dicitur: typum hereticorum exequitur. qui per nimietatem sapientie deo se uicinos esse arbitrantur. Ieu fratres ahazie qui nam sint interrogat. quia ordo doctorum peruersitatem hereticorum examinat. Illi respondent. cum heretici praua docendo. qui sint ecclesie fidelibus ostendunt. Fratres inquiunt ahazie sumus. quia nos sumus qui dominum singulari fide. speciali dilectione. et speciali scientia apprehendimus. Descendimus. cum de ecclesie societate exiuimus. ad salutandos filios regis. ad confirmandos doctores populi iudaici. et filias regine. populos indoctos. et seducibiles synagoge. Ieu ait. cum ordo doctorum fidelibus sancte ecclesie prauitatem hereticorum ostendit. Comprehendite eos uiuos. Viui comprehenduntur. qui scienter falsa locuntur. Viui comprehenduntur. qui baptismo regenerati. pro sua perfidia gehenne deputantur. Vnde dathan et abiron uiuos terra absorbent. qui hereticorum speciem exsecuntur. dum moysi contradicendo. a societate synagoge pro sua perfidia excluduntur. Dicit et moyses. qui christi agit typum. ad omnem synagoge cetum. Separamini a tabernaculis hominum impiorum. et ne contingatis que ad eos pertinent. Quibus profecto uerbis fideles qui sunt in ecclesia admonentur. ut peruersam hereticorum societatem omnino detestentur. ne eos sequendo. nec eis consentiendo. eterne mortis interitu pariter cum eis obruantur. Ieu ergo uiuos comprehensos .xl. duos uiros. in cisterna iuxta cameram iugulat. dum ordo doctorum peruersitatem hereticorum in sancte ecclesie doctrina per auctoritatem duorum testamentorum expugnat. Cisterna enim sancte ecclesie doctrina figuratur. qua sordes ignorantie abluuntur. qua salutaris scientie aque epotantur. Quia .xl. diebus moyses legis lator ieiunauit. et christus noui testamenti conditor .xl. dierum abstinentiam tenuit. numerus .xl. uirorum. typum gerit duorum testamentorum. Duo uiri qui supersunt. hereticorum speciem exprimunt. qui dum plus quam oportet sapere uolunt. limitem duorum testamentorum excedunt. Quo contra salemon dicit. Non transgrediaris terminos. quos fecerunt patres tui. Hos .xl. duos uiros. illa .xl. duo milia uirorum designant. quos iepte uocatis galaaditis. et uadis iordanis preoccupatis. in ipso introitu iordanis iugulat. dum spicam eadem littera non explicant. Iepte aperiens dicitur: per quem redemptor noster exprimitur. qui sanguine suo latroni paradysum aperuit. qui passione sua scripture secreta expandit. Qui galaaditas ad se conuocat. dum ueteris ac noui testamenti meditationi operam dantes.